

Christus olim restituit commensuratae fuerunt suis effectibus causae? Sed et daemones igni materiali teneri et exercuari, communis est theologorum doctrina; immo ut scite observat Bellarminus, experimur ipsi corporis affectionibus miro modo affici animos nostros. Generatim si huic quaestioni diutius immorari expediret, provocare liceret ad analogias in natura physica observatas, e quibus patet, res corporeas virium sibi communicatarum traduces fieri. Quis adeo rudis est, ut magnetismi electricismique phaenomena cum lateant ¹⁾?

(Continuabitur.)

Eine Entscheidung der S. Congregatio Rituum

die bei einer Requiemmesse zu nehmende Intention betreffend.

Gebraucht vom Bamberger Pastoralblatt.

Orator exponit: quod consuetudo invaluit in quibusdam Ecclesiis, ut in festis ritus semiduplicis paramenta tantum nigra offerantur sacerdotibus sacra celebraturis, ex eo quod Rubricae generales Missalis permittunt celebrationem Missarum privatarum pro defunctis quocunque semiduplici.

Porro sacerdotes illis Ecclesiis addicti vel extranei, qui promiserunt missas secundum intentionem dantis eleemosynam, non dubitant in diebus praefatis celebrare Missam de Requie, eo quod non cognoscant an intentio sit pro vivis nec ne,

¹⁾ Wenn laut Erfahrung in den äussern Kreisen des Seins durch Handauflegen, durch Ringe und Talismane beständige Verstärkungen und Uebertragungen von Kräften geschehen . . . mit welchem Unverstande läugnet man die durch unzählige Erfahrungen bestätigten Kräfte der Kirche? Ringseis, System der Medizin. Regensburg 1841. p. 159.

praeterea ex communiter contingentibus Missae requiruntur pro Defunctis. Quidam longius progredientes asserunt, quod satisfiat obligationi celebrandi pro Vivis utendo paramentis nigris et dicendo Missam de Requie. Ad probandam hanc agendi rationem dicunt, quod fructus venit tam vivis quam defunctis ex oblatione divinae Victimae et non ex ritu particulari, quo offertur; quod pro sua singulari pietate in animas defunctorum sibi placet, quam saepius illas Deo commendare per Missas de Requie, praesertim cum ille modus celebrandi Missam de Requie, nihil detrahendo Vivis, pro quibus eleemosyna data est, prosit plurimum defunctis.

Attamen alii Sacerdotes sentiunt aliter: cum Ecclesia instituerit pro refrigerio Defunctorum illum modum celebrandi, ita ut in illis Missis de Requie orationes quasi omnes referantur ad Defunctos et non ad Vivos, videtur non posse adhiberi pro Vivis. In hac agendi ratione praefatorum adest quaedam contradictio pietatem fidelium offendens simul et legem ecclesiasticam Missae. Igitur videtur illicitum celebrare Missas de Requie, ut satisfiat obligationi celebrandi pro Vivis. Idcirco orator infra scriptus, pro securitate suae conscientiae et aliorum veritatem circa hoc punctum praxis frequentioris cognoscere cupiens, ad Eminentiam Vestram recurrit, ut absque ullo dubio sciat, quid sit agendum et postulat humiliter reponsionem ad sequentia Dubia:

- 1) An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare Missam de Requie, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quaenam sit illius intentio, pro defunctis nec ne?
- 2) An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrandi Missam de Requie, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt celebrandi pro Vivis?

Responsio sequens directa est ad Oratorem.

Quum itaque oratoris preces a sacra congregatione de propaganda fide ad sacr. Rituum congregationem transmissae fuerint, et ab infra scripto secretario relatae, in ordinariis sacr. Rituum comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Em. et Rm. Patres sacris Ritibus tuendis praepositi, singulis mature perpensis, tolerandum minime esse censuerunt abusum, de quo in precibus, in festis nimirum semiduplicibus paramenta tantum nigra offerendi sacerdotibus celebraturis, eosdemque hac ratione impediendi, quominus legere pro lubitu possint Missas vel festo respondentes vel votivas juxta permissionem rubricae; propositisque dubiis rescribere rati sunt.

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, dummodo non diverse praescripserit, qui dedit eleemosynam.

Die 29. Novembris 1856.

C. Episc. Albanen. Card. *Patritzi*,
S. R. C. praefectus.

Das Dekret der S. Congregatio Rituum

bezüglich
der öffentlichen Kirchengebete für den Kaiser von Oesterreich.

Gebracht vom Linzer Ditzfessanblatt. (St. 34. 1860.)

»Fulget jam in Ecclesiae fastis, atque in aevum magna circumdatum gloria fulgebit augustum **Francisci Josephi I.** Austriae Imperatoris nomen, quod domestica sanctorum Decessorum suorum Stephani Ungarici et Henrici cognomento Pii imitatus exempla omnem curam cogitationemque suam, Imperio vix inito, illuc potissimum intenderit, ut jura Catholicae Ecclesiae inter